

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis primo Decembris.

M. NICOLAO RICHARD, Doctore Medico, Præside.

An Epilepsiæ venarum jugularium sectio?

I.

CORPORIS universi periodica convulsio, spumosâ salivâ sæpiùs ex ore prodeunti maximè conspicua, cum justitio functionum animalium; Epilepsia est. Hujus causa continens, non imperfecta cerebri ventriculorum obstructio ab hærentium iis in ductibus humorum colluvie, quos præ crassitudine suâ repugnat illuc tam citò ferri, tamque celeriter indè disjici, quàm repentina sunt affectus comitialis & insultus & cessatio. Quin & positis cerebri specubus (animalium spirituum penu) secundum majorem capacitatis suæ dimensionem infarctis, motionem potiùs imminutum iri sequeretur; quàm augeri nemo nescit in Epilepsiâ. Sed & apoplexia morbusque sacer penes magis & minùs solummodò discreparent, quod & ratione symptomatum, & ratione solutionis utriusque falsissimum; illa novit quidem interdum hypotropiasmos, statas verò periodos nusquam, per se non solvenda, nisi paralysi succedente; hic paroxysmis distinguitur, quibus finitis compos sui fit ægrotans, viribus aliquantulum fortassis imminutus; apoplexia fortis, solutu ἀδύνατος, levis ægrè superatur, Epilepsia citra remediorum opem desinit per se tardiùs aut ocyùs.

II.

CONJUNCTAM affectionis Herculeæ caufam melius putaveris, effræniorem fpirituum animalium in cerebri generaliter fpectati capacitate rarefactionem, quos ut blandâ & leni per cerebrum univerfum impulfione molliter fpatiatos, fensûs, motûs, principumque functionum auctores benè concipis; ita inibi primum actos vehementiùs, exin ad quafvis partes corporis præter capfulas nervorum impetu majore falientes, perfuadeas tibi parentes fore ftupendarum crebris cum fubfultibus contractionum in mufculis: nempè vellicatis quocunque modo cerebri, cerebelli, aut fpinalis medullæ involucris, à tumultuariâ fpirituum animalium agitatione, mentis impotentia contingit, atque ab uberiori ac præcipite fpirituum eorumdem ad tendineas carneafve mufculorum fibras vibratione, quibus hæ turgidiores protinùs evadunt, partium quarumque movendarum rigiditas & tenfio confeftim inducuntur, incolis cerebri fpiritibus, pyrii pulveris inftar, momento accenfis, conceptamque flammam præpete motu quafi rapientibus in tendines mufculorum, undè repentina fimul & terrifica nonnullorum epilepticorum σπασμώδης concitatio.

III.

QUOD fpiritus animales compellit in ejufmodi turbas, fermentum quoddam eft, à quo ifti velut ignito fomite femel accenfi fubitò exploduntur; non antè nihilominus in furias agendi, quàm antecedente affectus epileptici causâ, quæ in partium corporis aliquâ, interdum & à cerebro diflitiffimâ fæpenumero delitefcit, primam quafi fcintillam ignis poftmodùm luculentius accendendi furtim excitante, celer hic perturbatufque motus per continuatam vaforum feriem pervenerit ad cerebrum, editurus illic denique perniciofum infultus epileptici fragorem; qui toties hominem percellit, quoties tetra quædam è foco fcintilla mittetur, hofce fpiritus inflammatura; tamdiù concitandos, quamdiù & confeftim & tumultuosè ciebuntur intra cerebrum, indè ad voluntarii motûs organa majore copiâ fimul confufâque difpofitione prorupturi. Colligas hinc, cur acceffiones epilepticæ graviores fuerint aut leviores? Cur frequentiùs aut rariùs adoriantur? Cur morbus comitialis Hippocrati fanabilis habeatur vigefimum quintum ætatis annum nondum pro-

vectis? deinceps autem ἀνίατος ut plurimum. Cur virginibus menstruum fluorem anteà non passis curationis spes non præcidatur? Aliis habeatur ægritudo desperata. Quanquam è veteri, crebrâ vehementique Epilepsiâ melancholiam aut fatuitatem fieri non minùs frequens, & spiritibus animalibus à pristinâ συστάσει descifcentibus, & immutatis insigniter cerebri poris, quam causoni succedere cataphoram, quia dissipatis tenuioribus spirituum particulis, crassiores solummodò supersunt.

I V.

PORRO duplex est medicinæ morbo comitiali faciendæ tempus, aliud paroxysmi, extrà paroxysmum aliud: priori quidem indicationi fit satis, tùm ubi spirituum animalium efferatorum ferocia comprimitur, ope medicaminum quæ idonea sint illos in ordinem cogere; tùm ubi spiritus iidem procul à cerebro avocati alias in partes compelluntur, consueta illic munia executuri. Posteriorem implemus, & foco affectionis Herculeæ ab impurâ colluvie, quam viscera malè morata subministravêre, per cathartica medicamenta diligenter expurgato; & minutis iniquiori cruore ægrotantibus, à quo prava diathesis spirituum cerebri incolarum; utiliter quidem è superioribus & inferioribus artubus, commodissimè verò è vasis quæ feruntur ad jugulum; undè securitas major insultus epilepticos, si non omnino, saltem utcumque compositum iri; quam ab usu radicis Pœoniæ maris, foliorum rutæ, florum lilii convallium, visci quercini, ungulæ alcis, castorei, scobis humani cranii; corallii, succini; quorum aliquibus vim inesse non inficiamur castigandorum fortè spurcissimorum spirituum, cæteris occludendorum accuratiùs meatuum cerebri; & indè maximam duxêre semper ad profligandam Epilepsiam specifica commendationem, huic utrique effectui meritò adscribendam.

V.

INFIDA cæterùm medicina si cum apertis jugularibus venis conferatur, quæ ex interni jugularium venarum trunci surculis, quibuscum communicant, sanguinem quasi rapiunt, & quadam continuatione, deoneratis priùs cerebri sinubus & vasis, quod in spirituum animalium fervorem allabitur allapsurumque est imminuunt, viâ demum obviâ & perbrevi foras

effluxurum : ſcilicet per acceptum ſcalpello vulnus fuſo cruore, alius è veſtigio vacuum in locum influat neceſſe eſt ; in hac autem ſanguinis elutriatione, & neceſſario ejuſdem è tenuioribus capillaribuſque cerebri venulis in grandiorem externarum jugularium truncum confluxu, ipſæ etiam extremæ omnium propagines, ut ſuæ ſuccurrant penuriæ vecturæque non deſint, incitatum ex arteriis cerebri cruorem avidiùs excipiunt ; his majori parte vacuatis, & inſignem tumultuoſæ materiei portionem aliò ceſſiſſe putandum, & patentiores evaſiſſe ductus cerebri, ampliorem idoneamque legitimæ ſpirituum animalium impulſioni libertatem indulturos ; atque adeò ſegniorem fore deiuceps eorumdem impetum ad voluntarii motûs organa : quamobrem paroxyſmi rariores ingruent ac leviores, fortaſſis & nulli ; maximè ſi ſuper hoc eodem præſidii genere aliquoties inſtetur.

Ergo Epilepſiæ venarum jugularium ſectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus-Fauſtus Alliot.	*M. Amandus Douté.*	*M. Claudius Guerin.*
M. Joannes-Baptiſta Dodart.	*M. Franciſcus Goüel.*	*M. Paulus Mattot.*
M. Philippus Douté.	*M. Antonius Varin.*	*M. Carolus le Long.*

Proponebat Pariſiis PHILIPPUS CARON, Pariſienſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1689.

Apud FRANC. MUGUET, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.